

NECROLOGIUM

Lector/Invitator. Commemoratio omnium fratrum, familiarum et benefactorum defunctorum Ordinis nostri. Die pie in Domino obdormierunt: **Nunc legitur Necrologium.**

Superior. Requiéscant in pace.

Omnes. Amen.

Cantor. Ps 129. De profúndis clamávi ad te Dómine: *

Omnes. (pars cantoris). Dómine exáudi vocem meam:

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo eius: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósá apud eum redéemptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus eius.

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine. * Et lux perpétua lúceat eis.

Hebd. A porta ínferi. †

Omnes. Érue, Dómine, ánimas eórum. †

Hebd. Dóminus vobíscum. † **Omnes.** Et cum spírítu tuo.

Hebd. Orémus. †

Deus vénie largítor, et humánæ salútis amátor, † quæsumus cleméntiam tuam: * ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, † beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Per Christum Dóminum nostrum. † **Omnes.** Amen.

Hebd. Requiéscant in pace. † **Omnes.** Amen.